

derent unitatem. Ego, inquit, « Loquebar pacem de te : » Sed quare? « Propter fratres meos et propinquos meos : » non propter honorem meum, non propter pecuniam meam, non propter vitam meam : nam, « Mihi vivere » Christus est, et mori lucrum. » Sed, « Loquebar pacem » de te, propter fratres meos et propinquos meos. » Nam cupiebat ipse « Dissolvi, et esse cum Christo. » et qui ista prædicaret propinquis et fratribus, « Manere, inquit, in » carne necessarium propter vos¹. Propter fratres meos » et propinquos meos, loquebar autem pacem de te. »

XIV. « Propter domum Domini Dei mei, quæsi bona » tibi². » Non propter me quæsi bona : nam non tibi quærerem, sed mihi; ideo nec ego haberem, quia non tibi quærerem : sed « Propter domum Domini Dei mei, » propter Ecclesiam, propter sanctos, propter peregrinos, propter inopes, ut ascendant; quia dicimus eis : In domum Domini ibimus : « Propter ipsam domum Domini » Dei mei, quæsi bona tibi. » Hæc, fratres, prolixiora et necessaria carpente, manducate, bibite, convalescite, currite, apprehendite.

¹ Philip. i, 21-24. — ² Psal. cxxi, 9.

ENARRATIO

IN PSALMUM CXXII.

Sermo ad plebem.

I. ASCENDENTIS Cantica¹ ex ordine cum Sanctitate Vestra consideranda suscepi : ascendentis et amantis, et ideo ascendentis, quia amantis. Omnis amor aut ascendit, aut descendit. Desiderio enim bono levamur ad Deum, et desiderio malo ad ima præcipitatur. Sed quia jam malo desiderio lapsi cecidimus; superest nobis, si agnoscimus quis ad nos non ceciderit, sed descenderit, hærendo illi ascendere : quia viribus nostris non possumus. Ipse dixit Dominus noster Jesus Christus : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est » in cœlo². » Tanquam de se solo videtur dixisse. Ergo cæteri remanserunt, quia solus ascendit, qui solus descendit? Quid debent facere cæteri? Uniri corpori ipsius, ut sit unus Christus, qui descendit et ascendit. Descendit caput, ascendit cum corpore; vestitus Ecclesiam suam, quam sibi exhibuit sine macula et ruga³. Solus ergo ascendit. Sed et nos quando cum illo sic sumus, ut in illo membra ejus simus; et nobiscum solus est, et ideo unus, et semper unus. Unitas nos compaginat uni. Et illi soli cum illo non ascendunt, qui cum illo unus esse noluerint. Jamvero quoniam ipse qui in cœlo positus est, et carne

¹ Vide D. Guillon, tom. xxii, pag. 41-44. — ² Joan. iii, 13. — ³ Ephes. v, 27.

suscitata immortalis, per quam fuit ad tempus mortalis, et nihil in cœlo persecutionum patiens, nihil malitiarum et opprobriorum, sicut in hac terra quando pro nobis omnia sustinere dignatus est: compassus tamen corpori suo in terra laboranti, dixit: « Saule, Saule, quid me » persequeris¹? » Jam ipsum nemo tangebatur, et se pati persecutionem de cœlo clamabat. Non præter spem esse debemus, imo cum magna fiducia præsumere, quia si per charitatem ipse nobiscum in terra est, per eandem charitatem et nos cum eo in cœlo sumus. Sed diximus quemadmodum nobiscum ipse in terra sit, vocem ejus diximus de cœlo sonantis, « Saule, Saule, quid me persequeris? » Cum eum Saulus omnino non tangeret, sed nec videret. Quomodo autem ostenditur, quia et nos cum illo in cœlo sumus? Eodem ipso Paulo apostolo dicente: « Si consur- » rexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi » Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt » sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et » vita vestra abscondita est cum Christo in Deo². » Ergo et ille adhuc deorsum est, et nos jam sursum sumus. Ille deorsum est compassione charitatis, nos sursum sumus spe charitatis. « Spe enim salvi facti sumus³. » Sed quia spes nostra certa est; quamvis futurum sit, sic de nobis dicitur, quasi jam factum sit.

II. Ascendat ergo iste cantator: sed de unoquoque corde vestrum cantet hic homo, et unusquisque sit iste homo. Cum enim dicitis illud singuli, quia omnes unum estis in Christo, unus homo illud dicit: et non, Ad te, Domine, levavimus oculos nostros: sed « Ad te, Domine, » levavi oculos meos⁴. » Debetis quidem putare unumquemque vestrum loqui, sed unus ille maxime loquitur, qui etiam diffusus est toto orbe terrarum. Unus ille lo-

¹ Act. ix, 4. — ² Coloss. iii, 1-3. — ³ Rom. viii, 24. — ⁴ Psal. cxxii, 1.

quitur, qui alibi dicit: « A finibus terræ ad te clamavi, » cum angeretur cor meum¹. » Quis est qui clamat a finibus terræ? Quis unus homo diffusus est usque ad fines terræ? Unusquisque homo in regione sua potest clamare, numquid a finibus terræ? Sed hæreditas Christi, de qua dictum est: « Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ²: » ipsa clamat, et dicit: « A finibus terræ ad te clamavi, cum angeretur cor » meum. » Angatur cor nostrum, et clamemus. Unde angatur cor nostrum? Non de his quæ hic patiuntur et mali, verbi gratia, quia damnum patiuntur. Nam si inde angitur cor, cinis est. Quia nescio quem tuorum ex voluntate Dei amisisti, si inde angitur cor, quid magnum? Hinc anguntur et corda infidelium, ista patiuntur et qui nondum in Christum crediderunt. Unde angitur cor Christiani? Quia nondum cum Christo vivit. Unde angitur cor Christiani? Quia peregrinatur et desiderat patriam. Si inde angitur cor tuum, etiamsi felix secundum sæculum fueris, gemis; etsi omnia prospera confluant, et undique tibi iste mundus arrideat, tu tamen gemis, quia in peregrinatione te constitutum vides; et sentis jam quidem te habere felicitatem secundum oculos stultorum, sed nondum secundum promissionem Christi: illam quærens gemis, illam quærens desideras, et desiderando ascendis, et ascendendo cantas « Canticum graduum, » et cantando « Canticum graduum, » dicitis: « Ad te levavi oculos meos, » qui habitas in cœlo. »

III. Ascendentes quo levaturus erat oculos, nisi illuc quo tendebat, et ascendere desiderabat? De terra enim ad cœlum ascendit. Ecce terra deorsum, quam calcamus pedibus nostris; ecce etiam cœlum sursum, quod videmus oculis nostris; et ascendendo cantamus, « Ad te le-

¹ Psal. lx, 3. — ² Id. ii, 8.

» vavi oculos meos, qui habitas in cœlo. » Ubi sunt ergo scalæ? Tanta enim intervalla conspiciamus inter cœlum et terram, tanta separatio est, et tanta spatia locorum: illuc volumus ascendere; scalas non videmus: numquid forte fallimus nos, quia «Canticum graduum, id est, Canticum ascensionis cantamus? Ascendimus ad cœlum, si cogitamus Deum, qui ascensus in corde fecit. Quid est ascendere in corde? Proficere in Deum. Quomodo omnis qui deficit, non descendit, sed cadit: sic omnis qui proficit, ascendit: sed si sic proficiat, ut non superbiat, si sic ascendat, ut non cadat: si autem proficiendo superbiat, ascendendo iterum cadit. Sed ut non superbiat, quid debet facere? Levet oculos suos ad illum qui habitat in cœlo, non se attendat. Omnis enim superbus se attendit, et magnus sibi videtur qui sibi placet. Sed qui sibi placet, stulto homini placet: quia ille ipse stultus est, cum sibi placet. Solus securus placet, qui Deo placet. Et quis est qui placet Deo? Cui placuerit Deus. Displicere sibi Deus non potest: placeat et tibi, ut placeas illi. Sed tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi displicueris. Si autem displices tibi, tolle a te oculum. Ut quid te enim attendis? Si enim vere te attendis, invenis in te quod tibi displiceat; et dicis Deo, « Peccatum meum ante me est semper¹. » Peccatum tuum sit ante te, ut non sit ante Deum: et tu noli esse ante te, ut sis ante Deum. Quomodo enim volumus ut non a nobis avertat faciem Deus, sic volumus ut avertat faciem a peccatis nostris: nam utrumque illi cantatur in Psalmis: « Ne avertas faciem tuam a me². » Vox est Psalmi, vox est ergo nostra. Et ille qui dicit, « Ne avertas faciem tuam a me, » vide quid dicat alio loco: « Averte faciem tuam a peccatis meis³. » Si vis ut avertat faciem suam a peccatis tuis, tu ipse a te averte

¹ Psal. l, 5. — ² Id. xxvi, 9. — ³ Id. l, 11

faciem tuam, et a peccatis tuis noli avertere. Si enim non ab eis averteris faciem tuam, tu ipse irasceris peccatis tuis. Si autem tu non avertis faciem tuam a peccatis tuis, tu agnoscis, et ille ignoscit.

IV. At vero a te leva oculos ad illum, et dic, « Ad te » levavi oculos meos, qui habitas in cœlo. » Cœlum, fratres mei, si corporaliter intellexerimus hoc quod videmus oculis corporeis, vere sic errabimus, ut non putemus nos illuc ascendere, nisi scalis positis, aut aliquibus machinamentis: si autem spiritualiter ascendimus, spiritualiter cœlum intelligere debemus: si ascensus in affectu, cœlum in justitia. Quod est ergo cœlum Dei? Omnes sanctæ animæ, omnes justæ animæ. Nam et Apostoli quamvis in terra essent carne, cœlum erant; quia in illis Dominus sedens per totum mundum ambulabat. Ergo habitat in cœlo. Quomodo? Quomodo dicit in alio Psalmo, « Tu » autem in sancto habitas laus Israël¹. » Qui habitat in cœlo, habitat in sancto. Sancto quid, nisi templo suo? « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos². » Sed omnes adhuc infirmi et secundum fidem ambulantes³, secundum fidem sunt templum Dei: erunt aliquando et secundum speciem templum Dei. Quandiu sunt templum secundum fidem? Quandiu in ipsis Christus per fidem habitat: sicut dicit Apostolus, « Habitare Christum » per fidem in cordibus vestris⁴. » Sunt autem jam cœli, in quibus per speciem jam habitat Deus, videntes eum facie ad faciem, omnes sancti Angeli, omnes sanctæ Virtutes, Potestates, Sedes, Dominationes, Jerusalem illa cœlestis unde peregrinando ingemiscimus, et quam desiderando oramus: ibi habitat Deus. Illuc levavit iste fidem, illuc ascendit affectu, desiderando: et ipsum desiderium facit animam desudare sordes peccatorum, et

¹ Psal. xxi, 4. — ² 1 Cor. iii, 17. — ³ 2 Cor. v, 7. — ⁴ Ephes. iii, 17.

mundari ab omni labe, ut fiat et ipsa cœlum; quia levavit oculos ad eum qui habitat in cœlo. Nam si cœlum istud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus esse habitationem Dei; transitura est habitatio Dei, quia cœlum et terra transibunt¹. Deinde antequam faceret Deus cœlum et terram, ubi habitabat? Sed dicit aliquis, Et antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, et apud se est Deus. Et quando dignatur habitare in sanctis, non sic sunt sancti domus Dei, ut ipsa subtracta cadat Deus. Aliter enim nos habitamus in domo, aliter Deus in sanctis: tu habitas in domo, si subtracta fuerit, cadis; Deus autem sic habitat in sanctis, ut si ipse discesserit, cadant. Quicumque ergo sic portat Deum, ut sit templum Dei; non putet sic a se portari Deum, ut terreat Deum, si se subducat. Væ illi si se subtraxerit Deus; quia ipse cadit: nam Deus in se semper manet. In quibus nos habitamus, ipsa nos continent: in quibus Deus habitat, ipse illos continet. Jam videte quantum interest inter nostram habitationem et Dei: et sic dicat anima, « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in » cœlo, » ut intelligat quia Deus nec cœlo indiget, ubi habitet; sed cœlum ipso indiget, ut ab ipso inhabitetur.

V. Quid ergo sequitur, quia dixit: « Ad te levavi oculos » meos, qui habitas in cœlo? » Quomodo levasti oculos tuos? « Ecce sicut oculi servorum in manus dominorum » suorum; et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ; » sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, quoadus- » que misereatur nostri². » Et servi sumus, et ancilla sumus: ille et Dominus est, et Domina est. Aut quid sibi volunt ista verba, et quid sibi volunt istæ similitudines rerum? Attendat aliquantum Charitas Vestra. Non mirum si servi sumus, et ille Dominus est: sed mirum si ancilla

¹ Matth. xxiv, 35. — ² Psal. cxxii, 2-4.

sumus, et ille Domina est. Sed neque hoc mirum quia ancilla sumus; Ecclesia enim sumus: nec illud mirum, quia et ipse Domina est; virtus enim est et sapientia Dei. Audi ergo Apostolum dicentem: « Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis vero vocatis Judæis et Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam¹. » Ut jam sit servus populus, et sit ancilla Ecclesia: « Christum Dei virtutem » et Dei sapientiam: » utrumque audisti, « Christum Dei » virtutem et Dei sapientiam. » Cum ergo audis Christum, leva oculos tuos in manus Domini tui: cum audis Dei virtutem et Dei sapientiam, leva oculos tuos in manus dominæ tuæ: quia et servus et ancilla es; servus, quia populus es, ancilla, quia Ecclesia es: Ipsa autem ancilla magnam dignitatem invenit apud Deum: uxor facta est. Sed donec veniat ad amplexus illos spiritales, ubi secure perfruatur eo quem dilexit, et cui suspiravit in ista diuturna peregrinatione, sponsa est: et accepit arrham magnam, sanguinem sponsi, cui secunda suspirat. Nec illi dicitur, Noli amare: quomodo dicitur aliquando virgini jam desponsatæ, et nondum nuptæ: et juste dicitur, Noli amare; cum facta fueris uxor, tunc amare recte dicitur quia præproperum et præposterum desiderium est, et non castum, amare eum cui nescit an nubat. Potest enim fieri ut alius sponset et alius ducat uxorem. Quia vero nullus alius est qui Christo præponatur, secunda amet ista: et antequam illi jungatur, amet, et de longinquo suspiret et de longinqua peregrinatione. Solus ducet, quia solus talem arrham dedit. Quis enim potest sic ducere, ut moriatur pro ea quam vult ducere? Si enim mori pro ea voluerit, non erit qui ducat. Securus autem ille pro sponsa mortuus est, quam resurgens erat ducturus. Verumtamen, fratres, interim simus

¹ 1 Cor. i, 23, 24.

quomodo servi et ancilla. Dictum est quidem, « Non vos » dicam servos, sed amicos¹: » sed forte solis Discipulis dixit Dominus? Audite apostolum Paulum dicentem, « Itaque jam, inquit, non est servus, sed filius; si autem » filius, et hæres per Deum². » Populo dicebat, fidelibus dicebat. Jam ergo in nomine Domini redempti sanguine ipsius, loti lavacro ipsius, filii sumus, filius sumus: quia sic multi sumus, ut in illo unus simus. Quid ergo sibi vult, quod adhuc tanquam servi loquimur? Numquid tantum meritum habere possumus in Ecclesia, quamvis jam filii facti ex servis, quantum habuit ipse apostolus Paulus? Et tamen quid dicit in Epistola? « Paulus servus » Christi Jesu³. » Si ille se adhuc dicit servum, per quem nobis Evangelium prædicatum est; quanto magis nos debemus agnoscere conditionem nostram, ut major sit in nobis gratia ipsius? Primo enim servos fecit, quos redemit. Sanguis enim ille pro servis pretium est, pro sponsa pignus est. Agnoscentes itaque conditionem nostram, etsi jam filii per gratiam, servi tamen propter creaturam, quia universa creatura Deo servit, dicamus, « Sicut oculi » servorum in manus dominorum suorum, et sicut oculi » ancillæ in manus dominæ suæ; sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, quoadusque misereatur nostri.»

VI. Dixit et quare, sicut servi oculos habent in manus domini sui, et sicut ancillæ oculos habent in manus dominæ suæ; « Sic, inquit, oculi nostri ad Dominum Deum » nostrum, » Et quasi quæreret, Utquid? « Quoadusque, » inquit, misereatur nostri.» Quales ergo voluit servos intelligi, fratres, qui oculos habent in manus dominorum suorum; et quales ancillas, quæ oculos habent in manus dominæ suæ, quoadusque misereatur domina earum? Qui sunt isti servi et ancillæ, qui sic habent oculos in manus

¹ Joan. xv, 15. — ² Galat. iv, 7. — ³ Rom. i, 1.

dominorum suorum, nisi qui jubentur cædi? « Oculi » nostri ad Dominum Deum nostrum, quoadusque misereatur nostri. Quomodo? Sicut oculi servorum in manus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ.» Ergo et illi et illæ, quoadusque misereatur vel dominus vel domina. Fac ergo aliquem dominum jussisse servum cædi: vapulat servus, sentit plagarum dolores; attendit ad manus domini sui, quoadusque dicat: Parce. Manum enim, ipsam potestatem hic dicit. Ergo quid dicimus, fratres? Jussit nos cædi Dominus noster, et Domina nostra sapientia Dei jussit nos cædi: et in hac vita vapulamus, et tota ista vita mortalis plaga nostra est. Audi vocem Psalmi: « Pro iniquitate » erudisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam » animam meam¹. » Attendite, fratres, quam tabida est aranea, ut levi tactu conquassetur et moriatur. Et ne quasi carnem solam infirmitate mortalitatis putaremus nos habere tabidam, non dixit: « Tabescere me fecisti; » ne secundum carnem intelligeremus: sed ait, « Tabescere » fecisti sicut araneam animam meam. » Nihil enim infirmius anima nostra posita in mediis tentationibus sæculi, in mediis gemitibus et parturitionibus molestiarum; nihil ea infirmius donec hæreat soliditati coelesti, et sit in templo Dei, unde jam non cadat: quia primo ut veniret ad hanc infirmitatem et tabificationem, sicut aranea infirma facta est, et de paradiso expulsa est. Tunc jussus est servus cædi. Fratres mei, videte ex quo vapulamus. In omnibus qui ab initio generis humani nati sunt, in omnibus qui nunc sunt, in omnibus qui postea nascentur, Adam vapulat. Vapulat Adam, id est, genus humanum: et multi sic obduruerunt, ut nec plagas suas sentiant. Qui vero ex ipso genere filii facti sunt, receperunt sensum doloris

¹ Psal. xxxviii, 12.

sentiant se vapulare, et noverunt quis jussit ut vapulent; et levaverunt oculos suos ad eum, qui habitat in cœlo; et sic sunt oculi eorum in manus Domini sui, quoadusque misereatur, sicut oculi servorum in manus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ. Vides felices aliquos in isto sæculo ridentes, jactantes se; non vapulant: imo pejus vapulant; hoc ipso gravius cæduntur, quo sensum jam perdiderunt. Evigilent, et vapulent; sentiant quia vapulant, sciant quia vapulant, et doleant quia vapulant. « Quoniam qui apponit scientiam, apponit » dolorem; hoc Scriptura dixit¹. » Ideo Dominus in Evangelio: Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur². »

VII. Audiamus vocem hominis qui vapulat, et sint istæ uniuscujusque nostrum voces et quando nobis bene est. Nam quis non intelligat vapulare se quando ægrôtat, quando in carcere est, quando forte in catena, quando forte latrones patitur? Quando ab aliquibus improbis ei aliquæ molestiæ irrogantur, sentit vapulare se. Magnus sensus est, videre quia vapulat et quando illi bene est. Non enim ait Scriptura in Job, Tentationibus abundat vita humana: sed ait, « Numquid non tentatio est vita » humana super terram³? » Totam ipsam vitam tentationem dixit. Omnis ergo vita tua super terram, plagæ tuæ sunt. Plange quandiu vivis in terra: sive feliciter vivas, sive in aliqua tribulatione constitutus sis, clama, « Ad te » levavi oculos meos, qui habitas in cœlo. » Ad manus Domini, qui te jussit cædi, cui dicis in alio Psalmo, « Propter » iniquitatem erudisti hominem, et tabescere fecisti » sicut araneam animam meam⁴; » clama ad manus cædentis, et dic, « Miserere nostri, Domine, miserere nostri. Nonne sunt istæ voces vapulantis? Miserere nostri, » Domine, miserere nostri. »

¹ Eccli. 1, 18. — ² Matth. v, 5. — ³ Job. vii, 1. — ⁴ Psal. xxxviii, 12.

VIII. « Quoniam multum repleti sumus despectione. » In plurimum repleta est anima nostra, opprobrium eis » qui abundant, et despectio superbis¹. » Qui despicitur, contemnitur. Omnes qui secundum Christum pie volunt vivere, necesse est patiantur opprobria, necesse est contemnantur ab his qui nolunt pie vivere, quorum felicitas tota terrena est. Irridentur illi qui felicitatem vocant, quam oculis videre non possunt, et dicitur eis, Quid credis, insane? vides quod credis? Reversus est aliquis ab inferis, et retulit tibi quid ibi agitur? Ecce ego quod amo video, et fruor. Despiceris, quia speras quod non vides: et despicit te ille, qui quasi tenet quod videt. Attende si ipse tenet: noli turbari; vide si ipse tenet, et non tibi insultet: ne cum putas eum felicem in præsentia, amittas veram felicitatem futuram: noli turbari, attende si tenet. Labitur hoc ab illo quod tenet, vel ipse ab eo quod tenet: necesse est transeat aut ipse per res suas, aut res ipsius per illum. Per quem res transeunt suæ? Qui vivus labefactus erit. Quis transit per res suas? Qui in divitiis moritur: quia cum moritur, non eas secum aufert ad inferos. Domum meam habeo, jactavit se. Quæris, Quam domum tuam? Quam mihi dimisit pater meus. Et ille unde habuit hanc domum? Avus noster illi eam dimisit. Recurre et ad proavum, inde ad atavum, et jam nomina non potest dicere. Non inde potius terreris, quia multos attendis transisse per illam domum, et neminem ipsorum secum illam tulisse ad æternam domum? Pater tuus hic eam dimisit, transiit per illam, sic et tu transibis. Si ergo transitum habetis in domo vestra, stabulum est transeuntium, non habitatio commanentium. Et tamen quia nos ea quæ futura sunt speramus, et in futuram felicitatem suspiramus, et nondum apparuit quod erimus, quamvis

¹ Psal. cxxii, 3, 4.

jam filii Dei simus¹; quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo²: « Repleti sumus despectione, » id est, contemptu, ab his qui felicitatem quærent vel habent in isto sæculo.

IX. « In plurimum repleta est anima nostra, opprobrium eis qui abundant, et despectio superbis. » Quærebamus, qui sunt, qui abundant; exposuit tibi cum dixit, superbis. Quod est autem, opprobrium; hoc est, despectus: et quod est, qui abundant, hoc est, superbis. Repetitio sententiæ est, « Opprobrium eis qui abundant, et despectio superbis. » Quare abundant superbi? Quia hic volunt esse felices. Quid, quando et ipsi miseri sunt, numquid abundant? Sed forte quando miseri sunt, non nobis insultant. Intendat Charitas Vestra. Tunc insultant forte quando felices sunt, quando se jactant in pompa divitiarum suarum, quando se jactant in ventositate falsorum honorum: tunc insultant nobis, et quasi dicunt, Ecce mihi bene est, fruor ego rebus præsentibus, recedant a me qui promittunt quod non ostendunt; quod video teneo, quod video fruor; bene mihi sit in hac vita. Tu securior esto; quia resurrexit Christus, et docuit te quid in alia vita daturus sit: certus esto quia dat. Sed insultat ille, quia tenet. Ferto insultantem, et ridebis gementem: postea enim veniet tempus, quando dicturi sunt illi ipsi, « Hi sunt quos aliquando habuimus in risum. » Verba sunt libri Sapientiæ, quia prodidit nobis Scriptura, quæ dicturi sunt illi ipsi qui nos modo irrident, et qui nos despiciunt, et a quibus impleti sumus opprobrio et despectione: quæ verba habebunt tunc, quando a veritate despicientur. Videbunt enim ad dexteram fulgere, quos secum commixtos contempserant, cum factum fuerit in illis quod dixit Apostolus: « Cum Christus apparuerit vita vestra,

¹ I Joan. III, 2. — ² Coloss. III, 3.

» tunc et vos cum illo apparebitis in gloria¹: » et dicent, « Hi sunt quos aliquando habuimus in risum, et in similitudinem improperii, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore; » quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est? » Et sequentur in eo sermone, et adjicient, « Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis. Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactatio quid contulit nobis? » Ibi tu non eis insultas, quia jam ipsi sibi insultant. Quod donec fiat, fratres, levemus oculos ad eum qui habitat in cælo; et non ab illo tollamus oculos quoadusque misereatur nostri, et liberet ab omni tentatione et opprobrio et despectu.

X. Huc accedit, quod aliquando et ipsi qui sunt in flagello infelicitatis temporalis, insultant nobis. Invenis aliquem pro merito iniquitatum suarum, sive occulto judicio Dei, sive manifesta damnatione, mitti in carcerem, portare catenam: et ipse insultat. Et cum ei dictum fuerit, Quare non bene vixisti? Ecce quo venisti male vivendo? Ille respondet, Quare illi qui bene vivunt, ista patiuntur? Sed illi propterea patiuntur, ut probentur, ut tentationibus exercentur, ut flagellis proficiant: « Quia flagellat Deus omnem filium quem recipit³. » Et si Unicum sine peccato flagellavit, et pro omnibus tradidit eum⁴, quomodo debemus nos flagellari, qui fecimus quare flagellamur? cum ista dixerimus, illi et de infelicitate superbiunt adhuc, et afflicti, nondum humiliati, respondent, et dicunt, Ista sunt verba Christianorum vanorum, qui credunt quod non vident. Si et ipsi insultant, quid putamus, fratres, quasi non eos commemoratos in hoc Psalmo, cum diceret, « Opprobrium eis qui abundant, et despectio su-

¹ Coloss. III, 4. — ² Sap. V, 3-8. — ³ Hebr. XII, 6. — ⁴ Rom. VIII, 32.

» perbis? » Quandoquidem insultatur Christianis et ab eis qui non abundant, sed cum sint in egestate et ærumnis, nec ipsi cessant insultare. Certè ergo, « Opprobrium eis » qui abundant : » an forte nullus invenitur, qui etiam positus in calamitate insultet? Si non insultavit latro, qui cum crucifixo Domino crucifixus erat¹? Ergo si insultant et illi qui non abundant, quare Psalmus ait, « Opprobrium » eis qui abundant? » Si diligenter discutiamus, et ipsi abundant. Unde abundant? Nam nisi abundarent, superbi non essent. Alius enim abundat pecunia, et inde superbus est : alius abundat honoribus, et inde superbus est : alius abundare se justitia putat, et inde superbit, quod pejus est. Qui videntur non abundare pecunia, justitia sibi videntur abundare adversus Deum; et positi in calamitatibus se justificant, Deum accusant, et dicunt, Quid admisi, aut quid feci? Et tu dicis : Respice, recordare peccata tua, si nihil fecisti. Titillatur aliquantum conscientia, et redit ad se, et cogitat facta sua mala; et cum cogitaverit facta sua mala, nec sic vult confiteri, quia digna patitur : sed dicit, Ecce manifeste feci multa, sed multos video pejora fecisse, et nihil mali pati. Justus est contra Deum : Abundat ergo et ipse, plenum habet pectus justitia; quandoquidem illi Deus videtur malefacere, et ipse sibi videtur injuste pati. Etsi dares illi navim gubernandam, in naufragium iret cum illa : vult autem Deum excutere de gubernatione hujus mundi, et ipse tenere gubernacula creaturæ, et distribuere omnibus dolores et lætities, poenas et præmia. Infelix anima (Et quid miramini?) abundat, sed abundat nequitia, abundat malitia; et eo plus abundat nequitia, quo sibi videtur abundare justitia.

XI. At vero christianus homo non debet abundare, sed

¹ Luc. xxiii, 39, 40.

pauperem se debet cognoscere : et si habet divitiās, scire debet quia non sunt illæ veræ divitiæ, ut alias desideret. Qui enim divitiās falsas desiderat, veras non quærit : qui autem veras quærit, adhuc pauper est; et recte dicit, « Pauper et dolens ego sum¹. » Rursus ille qui et pauper est, et nequitia plenus est, unde dicitur abundare? Quia displicet illi quia pauper est, et justitia ipsa videtur abundare id corde suo adversum justitiam Dei. Et quæ abundantia justitiæ nostræ? Quantacumque justitia in nobis fuerit, ros est nescio quis ad illum fontem; ad saginam illam tantam stillicidia quædam sunt, quæ vitam nostram molliant, et duram iniquitatem solvant. Modo desideremus de pleno fonte justitiæ saginari, desideremus ubertate illa satiari, de qua dicitur in Psalmo, « Inebriabuntur » ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos². » Hic autem cum sumus, inopes nos esse intelligamus et egentes, non solum harum divitiarum, quæ non sunt veræ divitiæ, sed et ipsius salutis. Et quando sani sumus, intelligamus quia infirmamur. Quandiu enim corpus hoc esurit et sitit, quandiu hoc corpus vigilando fatigatur, stando fatigatur, ambulando fatigatur, sedendo fatigatur, manducando fatigatur; quocumque se verterit ad subsidium fatigationis, ibi invenit aliam fatigationem : non est ergo perfecta sanitas, nec in ipso corpore. Non sunt ergo illæ divitiæ, sed mendicitas : quia quanto magis abundant, tanto crescit inopia et avaritia. Non est ista salus corporis, sed infirmitas. Paregorizamus (8) quotidie medicamentis Dei, quia manducamus et bibimus : medicamenta ipsa sunt, quæ nobis apponuntur. Fratres, si vultis videre qualis morbus nos habeat, qui jejunit septem diebus, fame consumitur : Ergo illa fames ibi est : sed

¹ Psal. lxxviii, 30. — ² Id. xxxv, 9.